



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLI. De contemptu omnis temporalis honoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XLI.

De contemptu omnis temporalis honoris.

FILI, noli tibi attrahere, si videas alios honorari & eleuari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælum, & non conturbabit te contemptus hominum in terris. Domine, in cæcitate sumus, & vanitate citò seducimur. Si rectè me inspicio, numquam mihi facta est iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iustè habeo conqueri aduersum te.

2 Quia autem frequenter & grauius peccaui tibi, meritò armatur cõtra me omnis creatura. Mihi igitur iustè debetur confusio & contemptus; tibi autem laus, honor & gloria. Et nisi me ad hoc præparauero, quòd velim libenter ab omni creatura despici & relinqui, atque penitus nihil videri, non possum interiùs pacificari & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi vniri.